Ex prisciani libro XVIII. non longe a principio

Albus colorem. pallidum colorem habens. Et omnibus subaudiendum quae etiam obliquis iunguntur. Ut albi coloris equi id est
equi cuius quidem albi coloris. Albo colori equi. album colorem equum. Sic etiam per pluralia. albi colorem equi. ablativus enim per tantum
ei. Alborum colorem equorum corpus fuit. Albis colorem equis utuntur. Albos colorem equos iungit. Nam quicumque casus
nominativo adiunguntur. etiam declinato construi possunt. Virgilius in I. Nuda genu nodoque sinus collecta fluentes.
Id est in VI. Lacerum crudeliter ora. ora manusque ambas populataque tempora raptis auribus. Id est in V. Intentaque bracchia re
missi interna. Ablativus etiam coniungitur nominativo quando per eum aliquid evenire demonstratur illi qui per nomi
nativum profertur. Ut acutus oculis. id est per oculos. Validus viribus. id est per vires. Gloriosus laude. id est per laudem. in hoc sensu
greci quidem dativo. nos vero ablativo utimur. Et quod supra quoque ostendimus. quando habere aliquid vel consequi per genetivum
greci ostendunt. nos ablativo utimur. ΜΕΓΑΛΟΝ ΚΕΦΑΛΗΝ. Id est magnum virtute habens vir.
Latini magna virtute dicunt. Frequenter tamen et genetivo secundum grecos in hoc sensu utuntur. ut magne virtutis vir. Virgilius
in I. dives opum. Sallustius in Iugurthino. Homines veteris prosapiae multarum imaginum. et nullius stipendii. Terentius in Andria. Forte unam aspicio adulescentulam forma ac vultu sosia adeo modesto adeo
venusto. hoc est virginem quae habet formam ac vultum modestum et venustum. Simili in consequentia significationis. illi genetivo. nos ablativo
utimur tamen. ΩΣ ΕΜΟΥ ΟΡΩΝΤΟΣ ΤΟ ΤΕΚΝΟΝ ΕΠΕΣΕΣ. id est dum ego video puerum cecidisti. Quod nos dicimus. me vidente puer
cecidisti. Augusto imperatore. alexandria provincia facta est. id est cum augustus erat imperator. Bruto defensore. liberata est a tyran
no res publica. Id est cum defensor eius fuerat brutus. Sylla victore perierunt romani. pro cum victor fuerat sylla. in hoc autem sensu utros
tendimus. non licet genetivus. uti pro ablativo. Illa quoque nomina quae vim habent passivam. ablativo iunguntur. Lassus labore. fessus cursu
cassus lumine. Quod etiam participium potest esse. Virgilius in II. aeneidos. demisere neci nunc cassum lumine lugent. In undecimo. cassa
fraude parat. orbus prole. viduus pharetra. Horatius carminum libro I. puerum minaci voce dum terret viduus pharetra. risit apollo.
Iuvenalis libro III. Digna morte perit cenet licet ostrea centum. Vacuus cerebro. Mente captus. Est tamen invenire in his quoque quaedam sub constructionibus
auctoritate veterum genetivis coniuncta. Virgilius libro XII. descendam magnorum haud umquam indignus avorum. In comparationibus quoque
ablativos ponimus pro genetivis. Ut fortior scipio hannibale. Licet autem et nominativum cum nominativo interposita quam comparare.
Ut fortior scipio quam hannibal. Et quod saepe superius docuimus. flexi quoque nominativis in obliquos casus. eadem constructio obliquis
quoque casibus servatur. ut fortioris hectore achillis maxima virtus fuit. et scipionis quam anibalis strenuitas erat. Necesse est autem
omnia casualia eosdem casus in eadem structura servare si ut coniungantur quod supra dictum est. nominibus. sive pronominibus sint posita. et pro
nomina quidem loco nominum etiam praeposita inveniuntur. Ideoque constructionem eorum sibi defendunt. Ut gloriosus ego sum doctrina.
laudabilis est ille fortitudine. Participia vero et cum nomine et cum pronomine et per se posita constructionem etiam verbi necessario sequuntur
quam nominis quia utrique cognata sunt. Nominis ut cicero accusans vicit. Ciceronis accusantis oratio valuit. ciceroni accusanti. ciceron
accusanti contigit gloria. ciceronem accusantem timuit catilina. O cicero accusans catilinam patriam servasti. cicerone accusante
victus est verres. Et tales quidem constructiones ad similitudinem nominum habent participia. Verbi vero constructionem servant ei
singula participia ex quo nascuntur. Et vel absolute dicuntur. hoc est intransitive. quomodo et verba. quae non egent obliquis
casibus. Ut ambulo. sedeo. surgo. Ambulans. sedens. surgens. Vel transitive. hoc est in diversas personas. Vel in se ipsas personas
vel in se ipsas reciprocationem. Id est sui passionem quam greci ΙΔΙΟΠΑΘΙΑΝ dicunt. ut misereor tui. et mei. miserans tui.

Verbum pronominis recipit... reciproca... (marginal note, partly illegible)

— Prisc. XVIII 34 p. 223, 12 Hh